

D. D.  
DISSERTATIO GRADUALIS  
DE  
**SAPIENTIA**  
ET  
**BONITATE DEI**  
IN

IGNORANTIA HOMINUM

CIRCA

EVENTUS FUTUROS

**CONSPICUA,**

QUAM,

*Suffragant. Ampliff. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

**PRÆSIDE**

*UIRO Maxime Reverendo atque Amplissimo;*

**DN. CAROLO  
MESTERTON,**

**S. S. Theol. DOCT. nec non Log. & Metaph. PROF!**  
Reg. & Ord.

*Publico examini submittere constituit*

**STIPENDIARIUS REGIUS,**

**SVEN M. ALGÉÉR,**

**SMOLANDUS.**

**Ad Diem I. Julii Anni MDCCLIV.**

**Loco Horisque ante meridiem solitis.**

---

**ABOË,** Impressit. Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. **JACOB MERCKELL,**

MONSIEUR.

Comme le sage ne fait rien qu' en la présence de Dieu, qu' il  
 là toujours devant les yeux en travaillant, & que la fin de  
 ses ouvrages dépend de la faveur de sa tout puissance, pour rece-  
 voir de ses mains le prix qu' il en attend; demême aussi il  
 fait qu' il y a dans vertu une candeur & une ingenuité que rien  
 ne peut contrefaire, & aux quelles on ne se meprend point, pour-  
 vu qu' on y soit attentif; & cest la cause pour la quelle il fait  
 ses efforts d' imiter exactement cette même vertu, & d' en or-  
 ner le genre humain de la même maniere que les astres luisent  
 dans le ciel.

Etant donc parfaitement assuré, Monsieur, du progrès confi-  
 derable que Vous avez fait dans les sciences, aussi bien que de la  
 reputation que vous vous êtes acquis par vos veilles continuel-  
 les, & que vous allez vous acquerir par la nouvelle dissertation  
 que vous voulez mettre au jour, vous me permettrez de profiter  
 de l'occasion favorable qui se presente aujourd'hui, & de vous  
 faire connoître la joye que je ressens de vous voir près d'être  
 recompense des peines que vous avez prises dans la connoissance  
 des belles lettres.

J' espere même, Monsieur, que l'amitié qui a regné entre nous  
 depuis plusieurs années m' accordera la liberté de vous féliciter  
 en ce jour sur les louanges que vous allez recevoir & que vous  
 meritez. Dieu veuille dans ces entre faits exhauser les voeux  
 que je lui adresse pour la conservation d' un de mes meilleurs  
 amis, & repandre sur vos travaux, Monsieur, ses sourc iné-  
 puisables de bontes. tels sont les sentimens sinceres de celui qui  
 n'a de plus grand plaisir au monde, que de pouvoir vous con-  
 vaincre de l' attachement inviolable que j' ai pour votre per-  
 sonne & d' être

avec beaucoup d' estime Monsieur

votre tres affectionné serviteur & ami,

JEAN M. HAGERSTEIN.

§. I.



DE eo inter eruditos ut jam diu  
convenit, nihil usquam casu  
quodam, aut fortuito contin-  
gere, sed ex nutu omnipoten-  
tis naturæ Parentis cuncta pen-  
dere, ejusque provida volunta-  
te geri, quæcunque in orbe e-  
veniant; ita nec omnes in u-  
niversum eventus ejusdem esse generis ac cogna-  
tionis, res pariter certior est, quam ut ullo sit du-  
bio locus. Alii quippe ex naturalibus & necessario  
agentibus causis ita fluunt, ut qui harum agendi  
vim intellexerit, is omnino ad infallibilem ac in-  
dubitatum illorum præfensionem adspirare valeat.  
Ita e. g. perito Mathematico in promptu est præfinire  
diem immo horam & momentum, quo vel eclipsis  
continget, vel stella hunc illumve in orbita sua oc-  
cupabit locum; ut sicco, quod ajunt, pede ea  
præteream phænomena, quibus nituntur Medico-  
rum prælaga, & plurima apud Physicos occurrentia.

Alii contra ad liberas hominum determinationes sua referunt incunabula, & vel ideo, ob multiformes agendi modos ac infinitam fere animorum & inclinationum varietatem, nullo, antequam in theatrum lucemque prorumpant, certo se indicio produnt. Cum his igitur in præfenti nobis erit negotium, Sapientiam & Bonitatem Dei, in ignorantia hominum circa futuros eventus mirum quantum conspicuam, adumbraturis. Quod pro modulo ingenii dum carptim breviterque persequi tentaverimus, tuum est B. L. eum, quem soles reliquis bonis exhibere, nec nobis denegare favorem.

## §. II.

**S**Ucepturi præfentis thematis tractationem, non multis opus esse arbitramur, ut præfciilitatem actuum liberorum contra eos vindicemus, qui dicunt & nos credere jubent, aliam præfciendi rationem vix ac ne vix quidem excogitari, vel fingi posse, quam ut abfoluto & infuperabilis fati vim habenti Dei decreto omnia subjiciantur. Experientia enim, fidiffima illa rerum magiftra, edocemur, animam eum conftanter fequi agendi modum, ut nihil appetat, nifi quod maximum bonitatis meritum, vel fpeciem faltem, ipfi offerat. Quod fi igitur ex legibus appetitus et nexu rerum in hoc univerfo certum eft, in quibus circumftantiis anima femper fit conftituta, & quænam motiva fub datis circumftantiis eandem (vavius afficiant; certo quoque & infallibiliter cognofci poterit, ad quænam voluntas fe præ aliis determinatura fit, idque fine ulla

ulla jactura libertatis. Actus quippe præscientiæ, qui immanens est, non transiens, extra ipsum, a quo proficitur, subjectum nullam excercet vim, consequenter objectum suum nec facit, nec immutat, sed supponit tantum in ordine suo aliquando existiturum; maxime cum ad certitudinem & infallibilitatem ejus sufficiat, si ad rem futuram, uti futura est, referatur, nulla habita vel contingentiæ vel necessitatis ratione.

S. III.

**Q**uod mox §. præced. de præscibilitate futurorum contingentium disseruimus, idem varia insuper confirmant tum antiquioris tum recentioris ævi vaticinia; ne quid dicamus de oraculis, quæ, in S. Codice habentur, & vel ideo eorum omnium consensu, qui inter Christianos nomen serio profiterentur, divinæ omnino originis sunt. Equidem non ignoro esse non paucos, qui, quicquid de contingentium liberorum præensione in annalibus fastisque eruditorum passim tradi solet, id omne inter fictas fabulas & vulgi insomnia audacter rejiciant. Nec dissimulandum, ob multiplices hominum fraudes, spuria ac supposititia pro genuinis vaticiniis sæpius venditari. Attamen, nisi nos fallat opinio, opinionem decipiant exempla, immo nisi omnem fidem Historicam in dubium vocare velimus, veri nominis subinde edita fuisse vaticinia, haud facile inficias ibimus. Sic omnium propemodum in ore etjamnum versantur nomina Hieronymi Pragensis, Joh. Hussi, & Nicolai Eremitæ, qui prælagis suis usque adeo

A a

verum

verum assecuti sunt, ut vel invitos in admirationem raperent. Pari modo apud Gallos potissimum celebratur Michaël Nostradamus, qui iudice Morhoffio, ea indicavit, quæ ne stygius quidem genius prænunciare potuit. Addo Gregorium, cujus præfagia ipsi cognomentum Thaumaturgi peperunt, quemque tanto honore prosecuti sunt Patrum nonnulli, ut vel ipsi Mosis æquiparandum voluerint.

§. IV.

**Q**uemadmodum igitur futurorum, quæ ex arbitrio humano determinantur, vera subinde existisse præfagia, nos non dubitare sinunt idonea exempla; ita simul agnoscendum, quod eiusmodi eventuum præfensio omnino quid habeat omnem finitæ mentis vim manifesto superans. Nam licet vel maxime doctrina probabilium quantacunque demum excoleretur solertia, & ΣΥΜΒΟΛΩΝ, sive de *conjectandis hominum moribus*, nova indies caperet incrementa, facta nihilominus tectaque manet libera mentis potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere hoc modo vel alio, hoc & aliud, prout ipsi placet. Quare cum nemo rem futuram certo præscire dicendus sit, nisi omnes condiciones ac circumstantias, per quas futuritio eius determinatur, exacte cognoscat, & absque formidine oppositi in numero habeat; ad omnimodam certitudinem futurorum mere contingentium humanæ cognitioni nec paruit aditus, nec patebit unquam. Accedit, quod ad certam huiusmodi præfensionem, ceu splendidissimam divinitatis  
notam

notam, & invictum argumentum pro demonstranda veritate Theologiæ revelatæ, in S. Codice subinde provocetur. Quod qua ratione fieri posset, si finitæ menti illa conveniret perspicacia, qua contingenter futura quasi e longinquo prospectantur, fateor me non ita oculatum esse, ut quantumvis intenta acie videre queam.

§. V.

**H**Æc cum ita sint, non vana conjectura, sed firmissimis nitimur argumentis, dum futurorum, quæ ex arbitrio mortalium determinantur, certam ac infallibilem notitiam soli Deo adscriptam volumus. Uti enim divinus intellectus manifestos limites agnosceret, si vel minimum esset, quod eum præteriret; ita quicquid unquam cognosci potest, id omne, quacunque se exhibeat schesi, simul & distinctissime cognoscat, necesse est. Cum igitur futura mere contingentia indole quidem ac natura sua cognitu possibile sint (§. II.): omnimode autem certa & indubitata eorum præsentio entium finitorum vires plane pleneque superet (§. IV.); ultra patet, ejusmodi scientiam non nisi Deo omniscio assignandam esse, idque in summo perfectionis gradu, vel potius sine gradibus.

§. VI.

**Q**uod si jam in promptu sint exempla, prædictiones futurorum mere contingentium abunde docentia (§. III.): tales autem prædictiones in finitam mentem adeo non cadant, ut potius ad solum Deum, qui omne cognoscit cognoscibile, suos referant

rant natales (§. præced.); opportune hic disceptandum relinquitur, cur ni ex eadem machina Ens illud omniscium constanter sese conspiciendum præbeat, & occulta fatorum hominibus semper revelet? Diutina fuit hæc ipsa controversia, multaque peperit sententiarum divortia. Nos vero, salva aliorum auctoritate, modeste contendimus, tantum abesse, ut talis revelatio cum Sapiaientia & Bonitate Divina amice conspirare queat, ut utrique immane quantum repugnet. Et Sapiaientiam quidem quod attinet, in confesso est apud omnes, eam non permittere, ut eventus aliquis miraculose in scenam producat, nisi quatenus ad perfectionem hujus universi conferat, ita quidem, ut per causas naturales in illo neutiquam obtineri possit. Sed nec minus verum, prædictionem futurorum mere contingentium omnem finiti ingenii modum superare (§. IV.), & vel ideo inter veri nominis miracula reponendam esse. Quod si quis igitur eo processerit audaciæ, ut Deum Sapiaientia suæ convenientius fecisse crederet, si continua revelatione ignorantia hominum circa eventus liberos ivisset obviam; huic imprimis probandum incumbit, hanc rerum seriem tali revelatione reddi perfectiorem, nec tamen, quod per eam ulterius præstandum sit, viribus causarum naturalium actum consequi posse. Ast, si quid aliud, hoc certe illepidam fabulam esse, ne dicam absontum commentum, evidentius est, quam ut operosa egeat probatione. Ponamus enim, infallibilem notitiam futurorum mere contingentium per



per immediatam Dei revelationem mortalibus esse concessam; consequens est, ut vel libere, vel naturali impullu & immutabili fato sese determinarent ad agendum id, quod agerent, certoque esset prædictum. Non *prius*: quia prædictiones divinæ sic omnino supervacaneæ forent, nec ullum in actiones humanas haberent influxum; maxime cum sæpius repetitæ nulla raritate & insolentia facti animos obtupescerent. Ergo *posterius*; sed neque hoc. Homo quippe tum non amplius actionum suarum diceretur auctor, unde per evidentem flueret consecutionem, nihil aut posse, aut debere ei vel laudi, vel vituperio, verti. Impune igitur quisque leges & jura contemneret, aliosque opprimeret; admonitionibus, dehortationibus nullus plane esset locus, quandoquidem nihil ab homine proficisci posset, quod vel correctionem, vel retributionem mereretur. Quæ omnia cum oppido detestanda & impia sint; in ignorantia hominum circa eventus futuros manifesto satis indicio se prodit divina Sapiencia.

§. VI.

**N**EC minus illustre in hac nostra ignorantia Bonitatis Divinæ documentum animadvertet, cui vitam & fata mortalium animus fuerit ingeniumque attentius perlustrare. Quilibet profecto non iners & otiosus rerum spectator facile pervidet, quam versatilis sit fortunæ rota, quæ humanam circumagitat sortem: quam ægre raroque eandem ejus faciem diu sibi obverti patiatur; quam permixti  
igi-

igitur lacrimis sint nostri ludorum Olympi: verbo, quam diversæ in hoc mundi theatro & mutationes, & vices, & scenæ quasi, nunc lætæ & felices, nunc ingloriæ & tristiores. Dic igitur, amabo, quam messem nobis promitteret fatorum certa præsentio? Pulchra olim erant in Hesperidum hortis poma, sed quamdiu Dracones ad illorum fores excubias agebant, non poterant decerpi. Sic futura nosse & pulchrum, fateor, & jucundum foret; sed & idem maxime formidolosum, quando cum periculo esset faciendum, & ita quidem, ut imminetia mala, quæ præsentibus haud raro graviora ducuntur, ante diem nostra ferirent pectora. Interea mihi certum manet, quod laudata sæpius ignorantia omnes gentes in id conspirare fecit, ut in rebus secundis fortunæ vela reverenter haberent, in adversis tempori intervirent, & ludibria sortis suæ patienter ferrent, in omnibus denique negotiis argutam illam fatorum moderatricem, prudentiam puta, comitem sibi adungerent. Et quid pietatem loquor, omne felicitatis nostræ robur ac tutissimum propugnaculum? quid spem & acquiescentiam in Deo, aliasque virtutes vere Heroicas loquor? Certe cum ignorantia nostra circa eventus futuros usque adeo sororium habent nexum; ut, eadem remota, si non contabescerent penitus, saltem præcipuam suam vim atque splendorem amitterent. Hæc igitur omnia qui æqua pensitaverit lance, tantum abest, ut teroptimo Numini indignetur, quod futuri casus & imminetia fata densiori velamine tecta lateant, ut in eo potius infinitam ejus Bonitatem suspiciat, quasque decet submissione, miretur. §. VIII.

§. VIII.

**S**I quis vero in re tam manifesta adhuc animum scrupulis prægnantem gerat, is perpendat, velim, quot quantaque ex fictis vaticiniis, velut ex equo Trojano, turmatim prodierint incommoda. Horrorem certe nobis vel solum exemplum Niciæ incutere posset, de quo Plutarchus in vita ejus narrat: illum jam ab hostibus victum & fere inclusum, postquam, diu consilio Demosthenis de receptu restitisset, tandem, Syracusanis hostibus, per novas copias auctis, & peste intra sua castra grassante, utilissimum judicasse, occulte cum suis copiis se recipere. Cum autem, jam omnia in hunc finem sapienter essent præparata, militibusque edictum, ut vasa colligerent, nec hostes, ipsi hoc animadverterent, repente luna noctu defecit, unde Nicias stulta timiditate & superstitione dira quavis ac funesta sibi prælagiens, tandem decrevit, alium expectandum esse lunæ ambitum. Sic interea, supervenerunt hostes, copiis terrestribus murum & castra urgentes, navibusque portum undique obsidentes, atq; hac ratione inclusus, ipse cum copiis suis, fere variis modis periit. Pari modo Jamblichum indicio galli gallinacei, ex litteris Alphabeti, pulveri inscriptis, imposita ipsis hordei & tritici granula auferentis, scrutatum fuisse memorant, quis post Valentem Cæsarem ad gubernaculum imperii sederet? Cum autem gallus grana de solis quatuor lileris  $\theta$ .  $\epsilon$ .  $\sigma$ .  $\Delta$  sustulisset, incertumque esset, Theodosius ne, an Theodotus, Theodorus, an Theodectes designaretur; hinc vaticinio cognito, Valens insidias metuens,

B

pluri-

plurimos his nominibus notos interfecit. Huc quoque pertinet Cardinalis Hadrianus Castellensis, qui cum spem adipiscendi Pontificatus concepisset ex oraculo fatidicæ mulieris, socius factus conspirationis contra *Leonem X*, fortunæ ludibrium evasit. Et quot non alii eandem, aut deteriorem experti sortem, curiositatis & credulitatis h. e. stultitiæ suæ pœnas dederunt?

§. IX.

**H**Abes sic tandem C. L. Sapientiam & Bonitatem Dei in ignorantia hominum circa eventus futuros breviter a nobis delineatam : non quidem, ut ingenue fatemur, qua debuimus, pro tam sublimi materia, verborum apparatu & argumentorum pondere, sed qua potuimus simplicitate, pro virium & curtæ domi supellectilis modulo. Quodsi, hoc non obstante, nostram qualemcunque industriam minus probaveris, pro nobis allegamus hæc *Æliani*: ἡ πείρα πῦρ καλὰ, εἰς ἡζία δοκῆι σπυδασι πῦρ πείρα.

TANTUM.

